

Alius eiusdem nati casus.

Volo dirigere eundem gradum horoscopi ad alium promissorem, videlicet ad corpus Lunæ, quod in radice occupat G:14. minut: 29. Piscium.

		G	M		G	M
Ascensio	∫ horoscopi	339	25			
obliqua	∫ Lunæ	358	32	Cum latit: Merid:	3	51

Differentia ascensionum est graduum 19. minut: 7. Ex qua apparet horoscopum pertigisse ad corpus Lunæ circa finem anni ætatis decimi noni, aut principium 20. quo tempore debuit habere aliquod accidens Lunare, Sed circa illud tempus nihil aduersi sensit. Verum currente anno ætatis 21. in colicam lactalem incidit, qua laborauit amplius 4. menses. Hoc accidens fuit de natura Lunæ, ut notum est, nam crudorum humorum confluxus, item ventris solutiones ex stomachi imbecillitate à luna principaliter significantur. Ac quotiescunq; horoscopus ad lunare corpus peruenit, aut eius malignos radios, valde incommodat corpori.

Rursus igitur in hoc casu vides anticipare directionem, vnde hoc ipsum sequitur, quod supra, videlicet horoscopi gradum esse falsum. Eodem modo ex reliquis directionibus huius genituræ cum casibus nati collatis, semper deprehendi anticipationem, quas tamen hic propter prolixitatem omitto.

Instituto ergo ex his directionibus artificiosam veri gradus ascendens rectificationem hoc pacto:

In primo accidente subtraho gradus 12. minut: 33. (nam totidem ex doctrina directionum respondent annis nati, quo tempore habuit illud accidens, doloris dentium) ab antea dicta ascensione obliqua quadrati Saturni sinistri, quæ fuit Graduum 351. M: 7. Et relinquuntur gradus 338. minut: 34. quæ est ascensio obliqua veri horoscopi. Et arcus Eclipticæ congruens est grad: 17. minut: 17. Aquarij. Et hic est verus gradus ascendens momento natiuitatis huius nati, Idq; probabit etiam alter casus directionis ad Lunæ corpus.

Subtraho igitur pro altero illo accidente ascensionem obliquam veri gradus horoscopi modo inuentam, ab ascensione obliqua corporis Lunaris, adhibita tamen eius latitudine, ut supra, & prodeunt grad: 19. minut: 58. Ex quibus apparet natum habuisse illud lunare accidens in fine anni ætatis suæ 20. aut principio 21. currentis. Id quod verum est.

Vides quam egregie deprehenso vero ascendente per primum accidens nati, congruat postea annus etiam alteri accidenti. Atq; non huic tantum, sed & sequentibus annis singulorum accidentium exacte respondent suæ directiones, quarum aliquas ordine subiicimus.

Anno ætatis nati 4. peruenit directio horoscopi in terminum Martis, ita ut hic planeta diuisor esset gradus ascendens, ac in reuolutione valde imbecillis extitit. Eo anno interno apostemate laborans natus, parum abfuit quin extinctus fuisset.

Anno ætatis sexto peruenit directio gradus horoscopi in terminum Saturni, Item directio Solis ad quadratum Saturni dextrum, Quo tempore strabus factus est ex imitatione ancillæ.

Ab eo statim tempore etiam cepit ad aliquot sequentes annos vehementi & continua scabie affligi.

Anno 7. ætatis venit directio horoscopi ad oppositum Solis, qui in radice septimam domum occupat, videlicet locum inimicitiarum. Ab eo anno vsq; in nonum nouercali odio & inimicitijs vexatus est, cumq; ea directio deflecteret ad terminum Veneris, à mulieribus, quibus eius cura mandata erat, hoc accidit. Ac durante ea directione sub termino Veneris, quæ in radice fuit domina loci mortis, & ibidem præfens, anno ætatis decimo, parum abfuit, quin pater natum & fratrem eius, casu, globo è bombardâ eiaculato traiecisset. Nam Sol patrem significabat in radice. Eodem anno quoq; maximum vlcus, idq; conduplicatum habuit secundum genu sinistrum.

Anno ætatis 13. venit directio horoscopi ad quadratum Saturni sinistrum, quo tempore amisit quatuor dentes, ac subinde dentium doloribus vehementissimis laborauit.

Anno

origi